

Franckesche Stiftungen zu Halle

Conspectus Chirurgiæ Tam Medicæ, Methodo Stahlina Conscriptæ

Juncker, Johann

Halæ, MDCCLVII.

VD18 90812107

Tabula XX. De Parotidibus.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197684

35. Scirrhi, ab *acutis* residui, non debent præcipitanter repelli, alias præsentissimum vitæ periculum inducunt. *Conf. tab. de abscessu*, ubi de *apostasi febrili* dictum est.
36. Ad mitigandos dolores nonnulli commendant *stupefacientia*, sed locum non habent, nisi in talibus casibus, ubi immediate scirrhi *exse-ctio* subjungitur. Alias enim sopitio, ad tempus facta, tanto majore exacerbatione recurrit. In *apertis* vero scirrhosis tumoribus, qui cum dolore & ardore *stipati* sunt, *narcotica hyosciamina* & e *tabaco* parata, aliquo modo locum habent. *Opium* autem nullius est usus, quia solutionibus continui *sphacelum* prompte inducit. *Conf. ea*, quæ tabula de *occulto cancro* dicta sunt.
37. Omnes *indolentes* scirrhi, si ad emolliationem & apertionem eosdem ducere necesse sit, ulcera talia longe pejoris sunt moris, quam simplicia, præcipue, quando diu substiterunt, & glandulosas partes infarctu suo occuparunt. Hic quam maxime eo laborandum est, ut *affluxus* tam sub maturatione, quam reliqua ulceris curatione, per interna æque ac externa excludatur.

TABULA XX.

DE

PAROTIDIBUS.

I. DEFINITIO.

Parotides sunt tumores glandulas juxta aures occupantes, & a stasi humorum in iis locis originem ducentes. Derivantur a *παρά* juxta & *ἄς* auris.

II. DIFFERENTIA.

- I. Nonnulli auctores, præeunte *Galeno*, parotides ad tumores tantum *inflammatorios* restringunt.
- a. Alii autem latiore sensu hos affectus ad qualemcunque tumorem in iis locis extendunt, sive a materia sanguinea, sive a mucida, sive ab utraque stasi sustentetur. Hinc auctores distinguunt inter *dolentes* & *indolentes* parotides, item ex causa *frigida* & *calida* natas.

3. Sta-

3. Stasis sanguineo-inflammatoria, quoniam ut plurimum in suppurationem qualemcunque tendit, abscessus indolem format, mucid. autem ad scirrhorum mucidorum genium magis accedit.

III. SIGNA.

1. Exfurgit circa glandulas, parotides dictas, levis tumor, qui communiter magis est *tumor*, quam *excrefcencia*, & lentis ordinarie, interdum autem repentinis, progressibus augefcit, & quidem non raro in molem ingentem.
2. Quo magis est tumor inflammatorius, eo certius dolores infert, imo febriles plane commotiones, catarrhalibus affines, excitat. Aliquando enim exiguae glandulae repentinum ingentem tumorem concipiunt, praecipue in puerili aetate, raro in adultis, ita ut circa popliteam colli partem, prope cervicem circa *processus mastoideos*, glandulae talis, alias fere invisibilis, tumefcat, durefcit, doleat, inflammatoriam indolem exhibeat, & in suppurationem transeat.
3. Quando autem a materia mucida & tenace stasis sustentatur, tunc non adeo dolorificum sensum habet comitem, & hinc etiam ad discussionem longe pertinacior reperitur.

IV. CAUSSAE.

1. Causa efficiens est principium vitale, quod per activam congestionem humorum versus illa loca exitum respicit. Et sic parotides causarum etiam ratione a scirrhis, proprie dictis, quodam modo differunt, uti collatio causarum praecedentis tabulae docere potest. Generatim autem non sunt res admodum diversae.
2. Causa materialis est stasis sive sanguinis stricte dicti, sive reliquorum humorum, sive utrorumque.
- 3) Causae occasionales & procatareticae sunt
 - 1) Vel internae, quo praecipue *apostasies* illae seu *metastases* pertinent, quae ex febribus oriuntur, & de quibus *tabula de abscessu* plura diximus.
 - 2) Vel externae, ad quas praesertim
 - a) achores infantum retropulsos,
 - b) deinde aeris injurias,
 - c) speciatim tempestatem frigido-humidam, & refrigerationes hujus regionis in subiectis sensibilibus & teneris referimus.

T

V. PRO.

V. PROGNOSIS.

1. Parotides generatim sunt contumaces, diuturnæ, & multas difficultates involvunt. Præcipue quando lentis progressibus oriuntur. Ibi enim stasis est renax & viscida.
2. *Resolutio & discussio* staseos, nisi prima sui origine tentetur, ægerrime succedit.
3. *Suppuratio* vix sincera obtinetur, nam negotium inflammationis in partibus glandulosis ad votum non æque succedit, sed plerumque *ulceratio* saniosa, falsa, acris, corrosiva inde emergit, quæ non solum summas molestias, sed acerrimos quoque ardores & dolores conciliat. Imo docet experientia, quod tales ita constituti ægrotantes misere subinde moriantur, testante *Guilhelmo Fabricio observat. chirurg. cent. 1. observ. 39.*
4. Fluxus alvi, parotidi superveniens, salutaris.
5. Parotides, febre non cessante, periculosa. *Guilhelm. Ballenius.*

VI. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

1. *Interne.*

- 1) Blandæ *laxationes* conducunt, quibus mercurius dulcis addatur. Hæ in progressionem curationis subinde repetantur.
- 2) Subjungantur *resolventia & discutientia*: quo nomine præcipue laudamus essent. alexiph. *Stablii* cum essentia *succini* mixtam.
- 3) Si commotiones febriles concurrant, uti fieri solet, quando tumor inflammatorius adest, & citius augetur, tum essentia *succini* omitteretur, & post meridiem pulveres nitroso-absorbentes citrati cum sale digestivo & antimoniato fixo bis propinentur, ante meridiem autem essent. alexipharm. aliquoties exhibeatur.
- 4) Reliqua sub *cautelis* videantur.

2. *Externe* sequente ordine incedatur:

- 1) Quando parotides adhuc in fieri quasi sunt, id est, in primis sui initiis, tum applicentur *resolventia & discutientia*, quo nomine laudantur.
 - a) Spiritus vini camphoratus crocatus.
 - b) Epithemata camphorata, e radic. irid. Florent. sigill. Salom. bryon. pimp. alb. caryophyll. herb. saponar. hyssop. adianth. alb. marrub. alb. cuscut. parata, addendo camphoram vel spiritum illius adspargendo.

c) Quæ

- c) Quæ *specificæ* ab auctoribus passim commendantur, ea sub *Cautelis* allegabimus.
- 2) Si *discussio* non habeat locum, sed parotides per motuum inflammatoriorum vigorem ad suppurationem tendant, tum *maturatio* per *cataplasmata emollientia*, paululum *oleosa*, promoveatur, & rupto abscessu, ut moris est, per mundificantia & consolidantia læsio tractetur, ubi essentia balsamica *Stablii* rem fere totam absolvit.
- 3) Quando autem motus inflammatorius abest, & stasis lenta viscida in chronicam contumaciam abire videtur, tum blanda methodus & communia remedia non sufficiunt, sed efficaciora resolventia requiruntur, de quibus sub *Cautelis* observationes quasdam adjiciemus.

VII. CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. Quantam circumspectionem in medicatione parotides exposcant, monuit jam *Dan. Ludovici* in epistola quadam ac *Schultzium*, quæ tractatui illius de *triga cinnabriorum* annexa est, ubi legi potest, quid sentiat de hujusmodi tumoribus & eorum per externa medicamenta tractatione.
2. *Stablius* de parotide, quæ in tertium annum duraverit, testatur, quod per *salivationem* feliciter curata fuerit. Adhibitam autem hanc fuisse cautelam, ut leniter institueretur salivatio, usurpatis per diem 2-4 granis mercurii dulcis, adhibitis insuper medicamentis, insensibilem transpirationem promoventibus, bono observato regimine. Insuper etiam auctor fuit, ut æger loco aliorum decoctorum uteretur *decocto saponaria & radicis pimp. alb.* Hac ratione duravit salivatio in quartam usque hebdomadam, qua feliciter restitutus fuit ægrotans, cujus pater eodem affectu per exacerbationes misere interiit. Eadem remedia & eandem methodum felici cum successu adhibuimus in virgine quadam illustrissima 32 annorum, cujus parotis per octo annos duraverat.
3. Quid alii Practici de *æthiope minerali* in eiusmodi induratis tumoribus resolvendis promittant, præcedente tabula de *Scirrhis* jam diximus.
4. *Joh. Agricola chirurg. parv. globulum plumbeum*, e cervo iæto exfectum, & in bracteam ductum, commendat, ac pollice ur, quod